DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA SORTE PROPOSITA

A CLARISSIMIS PROFESSORIBUS REGIIS FACULTATIS MEDICÆ IN ACADEMIA CADOMENSI.

AD CATHEDRÆ VACANTIS DISPUTATIONEM

An Tabaci pulveris usus sanitati noxius?

TABACI planta id nominis sortitur ab Americanâ insulâ, unde in Europam advecta est. Nicotiana etiam dicitur à Nicotio, qui à Francisco II. Galliarum Rege ad Sebastianum Lusitaniæ Regem anno 1560. legatus, Tabacum Gallis primus omnium attulit. Illa triplici potissimùm ratione usurpari solet: vel enim per fictiles tubulos fumus ejus exsugitur, vel folia convoluta, in ore quasi ruminando versantur, vel in pulverem friata naribus admoventur; cujus quidem postremus ille usus hacce tempestate adeò invaluit, ut reperire sit ferè neminem, cui jam non sit familiarissimus juxta & suavissimus. Docti pariter & indocti, militares ac togati viri, artifices, mulieres, pueri, nullâ astricti necessitate, solo instincti exemplo, nullâ ætatis, diætæ, consuetudinis, temperamenti habitâ ratione, singulis momentis nares pulvere hoc suo benigniùs pascunt, tantumque roboris in eorum animos ipsa assuetudo obtinet, ut, si fortè desint illæ narium deliciæ, de suâ salute jam conclamatum esse existiment; plantam illam veluti pretiosum terræ germen, temporum nostrorum voluptatem, certum valetudinis columen prædicare passim non dubitent. Usque adeò in homines levissimos præconceptæ opinionis valet auctoritas. At quàm illi omnes damnosis laborent præjudiciis intelligant, qui spe sanitatis futuræ delusi, illius jacturam sibi periculoso usu elaborant. Verùm utinam suæ molestiæ alios sinerent esse expertes, nec illis se incommodâ & importunâ humanitate obtruderent! Sicubi enim languet sermo, frigent colloquia, nihil ab urbe rumoris, nihil ab aulâ vel de pace, vel de bello afflavit nuntii, educitur amœna pyxis, offertur toti coronæ Tabacum, haurit unusquisque certatim, sic tædium fallitur, sic redeunt dicteria, joci, lepôres, dum acuitur ingenium, & proritando naso torpescens, ut aiunt, ratio excitatur. Inde festiva inter otiantes homines suboritur altercatio, dum ille sincerum, hic admistis emendatum odoribus, subtilius alter, non nemo crassius extollit. Multis Melitense, pluribus Italicum arridet; alii modò Pongibeium, modò Nerolicum, Fernambucium alteri prædicant; Hispanicum benè multi novâ quasi utriusque gentis societate nobilitatum aliis anteponunt. Quidquid tamen in nos impotentiùs liberrima grassetur juvenculorum Tabacophilorum indignatio, qui, scholarum deterso recens pulvere, soli, si Superis placet, amœnioris munditiæ magistelli audire ambiunt; pace illorum dicatur, nihilo minùs politos illos & elegantes videri, quàm quo humanitatis & elegantiæ auram maximè aucupantur. Nihil illi quotidiano in congressu magis habent familiare, quàm histrionicam sumendi Tabaci artem excolere. Est enim inter illos, ut militaris hastæ, ita & quædam tabacariæ pyxidis tractandæ exercitatio & palæstra. Orbiculatam ille capsulam, Dædaleo tornatam labore, medicato pulvere gravidam educit è perulâ, manu eamdem modò hâc, modò illâ volvit revolvitque ad spectaculum, tremulo & molli articulorum pulsu ter quaterve concussam aperit; tum primoribus apprehensum digitis pulverem naribus, quasi aliud agens, delicatulè admovet, decoro gestu gratiam concilians. Alter artifici radulâ pulchellus molitor compactum in funiculos Tabacum blando affrictu contundit ipsemet ac subigit, scobinatóque cinere avidas nares affatim ingurgitat. At quo tandem illa tam exquisiti plena lepôris ratio tendit? in quâ mirum, ut illi se ament venustuli nostri! pulchrum nempe & decorum est sternutare, tussire, sputare; manicas, vestes, focalia, turpi pulvere infecta & squallida gerere, ora conspurcata ostentare, fœculentas habere nares, assiduo fluentes stillicidio, putrique velut sanie decolores, ex iis sæpè tanquam è fœtenti spiraculo olidas gravi cum stridore auras reciprocare, & faucium sentinâ graveolentes expirare halitus. Quantæ verò molestiæ, indomitam siticulosæ naris cupiditatem novo Tabaci haustu semper explere, hærentem & quasi muco viscatum pulverem sollicitare & prolectare, strophium inter manus habere semper purulentis fæcibus deturpatum, imbutum? Quàm importunæ anxietatis id singulos in dies potiori curâ cavere, ut ne Tabaco, quàm ut ne ipso pane careas?

EA si minùs ad pravam & inolitam consuetudinem radicitùs extirpandam valere apud eos homines possunt, quibus sua pro ratione libido est, quibusque vel fœdissimæ sordes aliorum exemplo honestæ fiunt & laudabiles, valeat saltem apud eos, qui sui & vitæ sunt amantissimi, quòd ex illâ fatali pyxide ad valetudinis detrimentum innumera penè morborum cohors emergat. Hominum animis vitæ suæ conservandæ cupiditatem natura ingenuit, suavibusque ad eam longiùs producendam stimulis unumquemque incitat. Sed, quæ nostra communis est calamitas, velimus, nolimus, urgente fatò trudimur ad mortem nunc ociùs, nunc seriùs; labuntur anni præcipites; fugit tempus non revocabile; incautos apprehendit tacito pede adrepens senectus, & quò plus temporis ad anteactam vitam accedit, eò plus de futurâ detrahitur. Itaque quoniam intentatos nobis fatorum impetus nec resistendo sustinere, nec eludere subterfugiendo licet, id unum restat miseris mortalibus, ut procrastinando, altercandoque tempus ducere aliquantulum, novisque in dies molitionibus obicibusque hostem quodammodo impedire, ac rerardare possimus. Sanitatem verò, quâ nihil homini optabilius est, incolumem tueri ac sustentare, uni, secundùm Deum, cujus munus est, Medicinæ datum, quæ potentissimorum olim Regum voluptas & deliciæ, suisque clara perhonorificis nominibus, à primo nascentis mundi exordio ducit originem. Per illam sanus feliciter & prosperè vivit, & ægro tuta præscribitur vitæ lex & norma, quæ si ingrata sano videretur, & displiceret, quia sanus est, illi certè jucunda videri debet, cui sanitas per ipsam conciliatur, ac fovetur. Integer ille status in legitimâ partium corporis habitudine positus est. Corpus verò machina quædam non incommodè dicitur à politioribus Medicis, cujus fabrica mechanices legibus regitur & constat. Illæ si optimè observentur ac vigeant, hinc valetudinis firmitas; sin autem eversæ jaceant, corruat pariter necesse est corporis structura, infirmetur valetudo, mors denique correpto gradu acceleret. Divinæ hujusce machinæ compaginem solidæ partes & liquidæ constituunt. Solidas tubuli, humores & succi liquidas efficiunt. Earum partium texturam quilibet naturæ cognoscendæ studiosus ope microscopii investigare potest, cujus usum in arte Medicâ irridiculè cavillari, tenuis est, vel intemperantis, vel somniantis ingenii; cùm huic instrumento acceptum referre debeamus, quod tam varia, tam exilia, quibus corpus extructum est, organa, fidelibus usurpare oculis liceat. Solidæ illæ partes nihil aliud sunt, præter quamdam tubulorum congeriem, quorum alii aliis longiores brevioresque sunt, vario situ, multiplicique complexu inter se apti & coagmentati; ita ut conformationem tubulorum, officiumque retinentes, vel carnis, vel ossium figuram induerint. Liquores verò tubulorum, glandularumque percolati meatibus, in sanguinem, lympham, bilem, cæterosque succos abeunt. Tubuli si solidi sint, permeabiles, elastici, flexibiles, aptè connexi, nullisque fæcibus incrustati vel obturati: liquores si fluidi, limpidi, temperati, nullis admistis sordibus vitiati permaneant: ad hæc si justa & æqualis gravitatis, levitatis, figuræ, molis, numeri, sitûs, motûsque proportio accedat, partes omnes integræ, vegetæ, sua obeunt munia, nullum inter eas exsurgit divortium, sed amicâ jugique societate inter se conspirant, excernendi humores egeruntur, conservantur retinendi. Inde quasi ex purissimo, lenissimoque fonte humores corporis placidum temperatumque tenorem accipiunt, omnes propriis vasis canalibusque continentur, reciprocos accessus recessusque æquali vicissitudine peragit sanguis, benignè alluit partes omnes; inde nullæ stagnationes, exuberantia nulla, nullus aliis succus prævalet; hinc artubus insinuat vigor habilis, hinc corporis valetudinisque firmitas, incolumitas, diuturnitasque contingit; ubique demùm ridet læta jucunditas.

FORTUNATAM conditionem iis, qui tanto perfruuntur bono, iis invidendam, qui exquisitis cupediis, multiplici conditurâ ciborum, medicatis, peregrinisque liquoribus gulæ irritamenta conquirunt: præcipuè verò qui familiari nostratibus viris pulvereo Tabaco nares suas insuevêre. Eo perverso abusu nihil ferè est, quod mutuam succos inter tubulosque habitudinem & consensum citiùs labefactet, validiúsque convellat. Hujus enim acri pulvere tenuis narium membrana frequentiùs vellicatur, crispatur; cujus tremula vibratio ad alias tum cerebri, tum reliqui corporis membranas, propter aptam aliarum ex aliis suspensionem propagatur. Eo succussu, quæ ab iis proximè convestiuntur viscera, fremunt & subsultant. Frequentiori porrò & vehementiori motu vexati tubuli læduntur, dissociantur, exsolutisque commissuris divaricati, franguntur. Disruptæ fibræ communi inter se ruinâ coacervatim sibi incumbunt, canaliculorum fatiscunt obliterati fornices, arcuati flexus sedimentum trahunt, compressis elisisque meatibus pori comprimuntur. Quòd ea, quæ supremas nares operit tunica, à durâ matre proximè ducit initium, nervorumque propagines, quibus illa implicatur, cum thoracis musculis connexione multiplici devinciuntur; inde fit, ut quo temporis momento narium tunica salinis Tabaci particulis admorsa & irritata est, eodem & dura mater, & thoracis musculi contrahantur, quâ contractione sternutamentum provocatur, quod brevis epilepsiæ nomen à veteribus Medicis non immeritò obtinuit, siquidem in utroque affectu cerebrum & thorax convelluntur, ac eædem ferè sunt utriusque affectûs causæ, scilicet lympha acris effusa, vel vapor è partibus inferis per cæcos furtim ductus in cerebrum progressus, qui si cerebri membranas pungat, epilepsiam; si narium tunicam irritet, sternutamentum suscitat. Liquor enim, qui per cerebri superficiem violentâ jactatione effrænatus exundaverat, vel in ejusdem tubulos pervaserat, agitatur, altiúsque compulsus, dum spiritus animales intercipit, lethargum, apoplexiam, paralysim, aliosve lethales provocat affectus. Nec capitis modò, sed thoracis etiam regionem infestat sternutamentum. Quamvis enim & singultum præcavet, & mulieri tum hystericæ, tum ægrè parienti opitulatur, tamen cùm thoracis fibras omnes ferociori tumultu concutiat, id fieri non potest, quin alimentorum sæpè communio perturbetur, frangatur partium tonus, crudi humores præcipitentur, denique pulmonum vasa disrumpantur, è quibus effusus sanguis, vel suffocat hominem, vel pulmonibus immedicabile ulcus inducit. Scio quid hîc à Tabacophilis jactetur, novi quibus armis hanc illi petitionem eludant, negant scilicet ab assuetis fieri passionem, ea, quorum aliquis diuturnum usum collegerit, in naturam abire prædicant, se se plures jam annos hauriendi Tabaci consuetudinem tenuisse, nec ullam ab eo noxam experiri, nullâ molestari sternutatione. Sapienter illi quidem, si modò hujusce effectus causam inquirerent attentiùs, agnoscerent certè excusationem suam novum esse mali genus, eo non pertimescendum minùs, cujus à se periculum amoliri nituntur. Cur enim inveterato Tabaci pulverei usu sternutamentum minimè cieatur, ab obstructis narium tubulis ratio videtur repetenda. Enimverò cùm pulvis ille naribus continenter ducitur, ejus particulæ plurimæ vicinorum tubulorum tenacibus impeditæ humoribus, & novarum accessu in dies multiplicatæ eorum ora occludunt. His porrò ductibus obturatis, intima narium membrana callosis veluti crustis inducta obdurescit, ita ut neque tunica illa, neque dura mater contrahi amplius possint.

LIQUORIBUS etiam, non tantùm tubulis, maxima è Tabaco pernicies impendet, quorum vel temperationem alterat, vel interturbat fluiditatem, vel copiam imminuit. Tabacum sulphureis salinisque particulis, & maximè actuosis turgere constat. Illæ corporeis succis immistæ, ignea volatiliaque corpuscula inspergunt, perennemque domestici incendii fomitem deportant, quo sanguinis partes omnes agilium velut flammularum apicibus lacessit, dividitque. Quantùm inde humorum perturbatur cursus? quantùm toto in corpore tumultus excitatur? Saliva in ventriculum depluens, & aër, qui per nares ad pulmonem continuò ducitur, Tabaci salibus imbuta, alimentorum moli implexa, chylum proprio vitio inficiunt, suæ mox acrimoniæ semina sanguini insinuant, eum alienis inconditisque motibus cient, rapiuntque præcipitem. Quid quòd opposita aliquando planéque diversa ille pulvis effecta sortitur? adeò ipse sibi luctuoso discrimine pugnat atque diffidet. Dum enim ad nares evocatur, dum teneras lamellarum membranulas acribus aculeis pungit, stimulat, lancinat; glandulas illæ, quibus contexuntur, validissimè astringunt, stagnantemque ex iis mucum eliciunt ac derivant. Hoc effluxu maxima serosi laticis copia motum eundem sequuta, jugi agmine vicinis è glandulis vasculisque educitur. Tubuli paulatim suâ lymphâ multati, cujus ope flexiles, humoribusque permeabiles efficiebantur, concrescunt, solidantur, rigescunt. Sanguis propter vehiculi sui jacturam iners quodammodo & spissigradus torporem contrahit, in pulmones ægrè delabitur, unde laboriosa respiratio. A sanguine sic degeneri & quasi viscato spiritus veternosi sua munia desidiosè & oscitanter defunguntur, fibrarum dissolvitur intentio, elater infringitur, corpori gravitas inducitur, sensuum oritur imbecillitas & ignavia, universi demùm corporis vires enervatæ fatiscunt, narium verò præsertim odora vis hebetatur, ut satis ex perpetuâ, quam inducit, raucitate, & gravedine innotescit. Sive quòd frequenti pulveris haustu earum partium deteruntur, & abraduntur papillæ; nervuli, fibrillæque stupefactæ ad tremulam succussionem fiunt indociles, frequentiúsque commotæ & lacessitæ tonum suum deperdunt; ut in Uuguentariis usu venit, qui varia aromatum effluvia naribus semper ducentes, nullum ferè deinceps percipere odorem, ac distinguere possunt. Sive etiam quòd evocatis continuo fluxu ad nares humoribus, papillæ omnes irriguo pituitæ, serosique laticis flumine ita exundant & onerantur, ut eo madore inebriatæ odorifera corpuscula aut recipere non possint, aut eorum aciem obtundant, infringant vires, atque obruant. Quàm perversè illi agunt & præposterè, qui excipiendis odoribus destinatum à naturâ organum tot humorum intempestivâ alluvie in fœdissimam cloacam mutare sustinent. Id maximè ex eorum comparatione constans efficitur, qui, quod emetici aut cathartici salutares aliquando vires percepissent, ea quotidie vellent usurpare. An non illi à communi sensu planè viderentur alieni? non solùm enim indecens illud & turpe esset, stercorarias egestiones ad perennem provocare fluxum, sed inde vitium sensim valetudo contrahit, unde eam in melius restitutum iri spes erat. Idem pari ratione de Tabaco dicendum venit. Cerebrum enim, ventriculus & intestina tales, tamque frequentes excretiones non impunè patiuntur, nec sine periculoso discrimine pravis semper onusta humoribus exundant; & benè constitutâ valetudine rara fit narium emunctio, rarus salivæ screatus: quia glandulæ, quæ utrique inserviunt, vigente corpore non multum lymphæ percolare & transmittere debent: secùs continua esset invaletudo, diuturnus morbus.

HIS tot tantisque incommodis quidni & aliud fortè gravissimum, periculosissimúmque accedat, quòd scilicet pulveris illius particulæ per ossis cribrosi meatulos & foramina sursum se penetrent, intimósque cerebri ductus, recessus, & ventriculos paulatim atrâ fuligine, & nigricanti velut crustâ inficere possint, & corrumpere. Quod quidem non semel observatum, testatúmque legimus apud celebres Anatomicos, Medicósque experientissimos, qui calvarias in militibus Tabaci amantissimis; & qui ejusdem unciis pluribus famelicas explere nares quotidie consueverant; calvarias, inquam, Tabaci fuligine atratas, concretum ejusmodi pulverem duram inter menyngem, & totam cranii basin, ibique tenaciter adhærentem, in iis rimulas etiam, quibus viam ad cerebrum sibi pulvis ille communiit, se deprehendisse asseverant. Nobilem virum non ita pridem vidimus, qui, ut sæpè capitis dolore, & surditate laborabat, immisso auriscalpio Tabaci pulverem, cujus ipsi usus erat familiarissimus, educebat; nec ita multò post sublevatum caput, & liquidum auditum experiebatur. Refragabitur hîc, credo, aliquis Schneideri authoritate fretus, & artis Anatomicæ contraria obtrudet experimenta, quibus palam fit ossis cribrosi foraminula, sic occludi, ut nullum foris & intus vel subtilem maximè & penetrantem liquorem quâlibet impulsum industriâ transmittant. At ex eo infido plerumque experimento nullas dari vias quis certò inferre possit? Id exploratum quidem fuit in cadaveribus: at nonne mors omnia ferè occludit tenuiora spiracula? quantum in demortuis solidorum, liquidorúmque status immutatus est? Partium omnium cum vitâ perit usus, spiritus avolant, dissolvuntur membranarum stamina, tubulorum parietes in se se collapsi ruunt, exiles fibrarum meatus obliterantur, comprimuntur tunicarum pori liquoribus impervii, motus omnis deperit, vasorum denique internorum cum externis cessat communio. Nec mirum, si Anatomicorum instrumentis & artibus viæ illæ non pateant. Quod natura sponte, nec nisi pedetentim, & certis quibusdam, ordinatisque regulis efficit, id vir Anatomicus per vim, & ex tempore nititur consequi. Adde quòd ipsa natura non semel à suis legibus deflectens, sinuosa ossis cribrosi foramina, & sellæ sphenoidis obliviscitur, unde & in quibusdam eæ partes desiderantur, perinde atque in craniis suturæ aliquandò deficiunt. Prætereà si è cerebro per nares quibusdam recrementis patet aditus, quidni & ex naribus Tabaco turgidis multæ hujus pulveris particulæ sursum devehantur? Tales profectò è naribus in cerebrum patere vias, & è cerebro pariter in narium cavamina, probant satis & evincunt lethargus, cephalæa, vertigo, aliique complures cerebri affectus, qui copiosâ pituitæ è naribus profluentis excretione discutiuntur, & curantur, ut multiplici constat experientiâ. Et erit qui inficiabitur, illam ipsam pituitæ copiam, quæ prædictorum affectuum continens erat causa, è cerebro in nares manasse? Proindeque tubulorum astrui veritatem, qui à cerebro tracti & profecti humores illos in nares deportent; quamvisque secantium fugiant oculos, tamen quantùm ad seri & pituitæ trajiciendas particulas tenuissimas, maximéque flexiles sufficiat, dispositi sunt ac permeabiles. Unum denique attexam argumentum, quod momenti non parum habere videtur, observatum esse annis proximè superioribus, complures morte repentinâ occubuisse; idque frequentiori Tabaci pulveris usui à peritissimis Medicis, probabili satis conjecturâ, fuisse ascriptum. Quis erit jam vel in præjudicatâ opinione adeò obstinatus, vel suæ valetudinis tam parùm amans, ut ejus illecebris trahi se imposterùm patiatur? Verùm quantæ illud difficultatis est, tam altis inhærentem radicibus consuetudinem, tam diuturno robore confirmatam evellere, quæ de hominum fermè omnium libertate adeò impunè, adeò splendidè triumphavit? Quid plura? Omnem eâ de re controversiam Æsculapii nostri, Illustrissimi Archiatrorum Principis, quolibet argumento fortiùs, ac meliùs secabit authoritas, quo Præside & Arbitro, in Parisiensibus Medicorum Scholis, contra frequentem Tabaci usum linenda Cedro Thesis propugnata est, tot referta oraculis, quot verborum, ingenii, eruditionisque luminibus enitescit. Hujus tanti Viri contra omnes adversariorum assultus interposito judicio, concludimus, prout sors voluit, *Ergo Tabaci pulveris usus sanitati noxius.*

Has Theses proponebat JOANNES FRANCISCUS DE LA DUCQUERIE, Cadomæus, Doctor Medicus, idemque Professor Honorarius in ejusdem Urbis Academiâ, *in publicis Medicorum Scholis, die Iovis 28. Aprilis, A. R. S. H. M. DCCI. ab horâ 1. ad vesperam.*

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.